

Letter 44: Before 28 April 1520, [Basel], Gervasius Schuler to Capito

The manuscript of the letter is in Fr. Gr. I 19, #26 in the Universitätsbibliothek, Basel.

Ad eximium Guolfgangum Fa. Capitonem theologum cum doctrina tum vitae sanctimonia
clarissimum doctorem. Carissime:

Multus amor, studiosa fides, sincera voluntas

Scribere me, Capito famigerate, monent.

5 Sim licet exiguo ditatus carmine, debent

Non tamen hii fumi displicuisse tibi.

Atra, nec inficior, sint carmina, candida sed mens

Inter amicicias sit, venerande, tuas.

Moribus ingenuis gravis es, affabilis, aequus,

10 Congressum aspernans nullius atque preces.

Te celebrem reddit triplicis facundia linguae,

Tu nosti quicquid scripsit Aristoteles,

Tu ius pontificis, tu sancta volumina calles.

Insuper eloquio nil Cicerone minor.

15 Sed quid plura canam? Ter doctus noster Erasmus

Scripsit epistolio carmine quod nequeo.

Hec potius repentino calore effudi quam dictavi, doctor excellentissime. Insuper ad te mitto
20 Orationes Ciceronis quas hodie a me petisti, missurus etiamnum meos omnes libros. Tu manda,
mihi iussa capescere fas est, et Gervasium gentilem tuum in clientelam Capitonis ascribito, tam
et si albo istiusmodi sit indignus. Verum, vale, decus Germaniae, bonarum literarum asylum.